

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Fabricius Martin Frost

De Asthmate

Rostochi[i]: Pedanus, [1626]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742559920>

Druck Freier  Zugang



FF¹⁰⁵
XXVIII

Ma-3835¹⁻²⁶



9.

QUOD DEUS OPT. MAX.
BENE VERTAT,
^{DE}
ASTHMA TE.

EX CONSENSU ET DECRETO AMPLISSIMI
COLLEGII MEDICI, IN CELEBERRIMA
ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi, Experientissimq; Viri,

DN. D. IACOBI FABRICII,
Architatri Megapolitani, Medicinæ & Supe-
riorum Mathematum Professoris excellentissimi,
Facultatis Medicæ p. t. DECANI, præceptoris &
fautoris sui summè colendi,

Pro summis in Arte Medicâ
privilegijs consequendis,

Publicè disputabit

M A R T I N U S Frosti

Gubenâ - Lusatius,

In Auditorio majori,
XIV, Februarij anni XXVI.

1616

OS(?)

R O S T O C H I

Typis exscripsit Joachimus Pedanus Acad. Typ.

ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMO
ET REVERENDISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. BOGISLAO,

eius nominis XIV,
DUCI Stetini, Pomeranorum, Cassu-
biorum, & Vandalorum,
PRINCIPI Rugiæ,
EPISCOPO Camminensi Electo,
COMITI Gutzoviæ,
DYNASTÆ Terrarum Leobur-
gensium & Butoviensium,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

In
fidelis ac devoti obsequij
monumentum,

Hanc
Disputationem Inauguralem
Donat, Dedicat, Consecrat
MARTINUS Frost.



DE ASTHMAE,

THESIS I.

ASthma dicitur ἀσθματικόν πάνευκον à symptome, quod est anhelare; unde appellatur ab Aurelianu lib. 3. tard. pass. cap. 1. & lib. 2. acut. morb. cap. 17. Anhelatio & suspirium; ab aliis creber anhelitus; à Senecā Epist. 54 meditatio mortis; qui hoc malo infestantur nominantur Gracis àποπλούσι; Latinis Anhelosi, anhelatores, anheli; Germanis Engbrüstig.

2. Sumitur vel late, pro qua vis respirationis difficultate, sive à cursu, aut celeri exercitatione, sive à febri, sive à pulmonum angustiâ, sive ab alia causâ productâ, ut patet ex Gal. lib. 3. aph. com. 26. & lib. 6. aph. com. 46. rursus com. 4. in lib. Epid. & com. 2. in lib. 1. prorrh. v. 54. lib. 7. de med. s. l. cap. 6. Hipp. lib. de off. natur. p. 248. & alibi. Aeginet. lib. 3. c. 29. Aretaeo lib. 1. cap. 11. vel strictè, pro respiratione depravatâ, ob bronchiorum pulmonis obstructionem, sine febre tamen obortâ.

3. Quæ obstructio pro suâ diversitate diversos spirationis affectus gignit; si enim illa levior fuerit, oritur dyspnæa, in quâ respiratio est modicè densa & crebra, citra sonum & anhelitum; si gravißima, accidit Orthopnæa, in quâ densissima & creberrima est spiratio, ita ut, ob metum suffocationis, agri erectâ cervice respirare cogantur. Si medium quasi locum inter has obtineat, vocatur asthma propriissimè dictum, in quo respiratio est densa & crebra, cum anhelitu & sono, Gal. 1. 6. aph. com. 46. Cels. lib. 4. c. 4.

1.2

4. Diffe-

4. Differunt autem haec affectiones non specie, sed saltem accidentibus, celeritate & densitate respirationis, maiore vel minore spiritus difficultate, secundum causam magnitudinem.

5. Nos de Asthmate propriissime ita dicto, quod frequenter contingit, hanc disputatione potissimum acturi, ejus definitionem, partem affectam, causas, differentias, signa & curationem proponemus.

6. Est vero Asthma, definiens Galen. 3. Epid. sect. 2. com. 4. respiratio perseveranter anhelosa, cum stertore, striditu & tussi, citra febrim, ex cavitatum pulmonis obstructione magna introducta.

7. Pertinet itaque hoc symptoma ad respirationem depravatam, cuius causa, morbus in cavitate, obstructio nempe meatuum pulmonis, qua obstat, quo minus aer sufficiens ad cor refrigerandum deferri, & fuliginosa excrements expelli possint; propterea natura hunc defectum densitate & velocitate spiracionis, qua similis est illis, qui celeri cursu agitat fuerunt, compensare nititur.

8. Subjectum Asthmatis est pulmo, cum suis cavitibus, & vasibus, quibus intertextur, & imprimis aspera arteria & ductus, propagines surculi seu ramuli in pulmonis substantiam distributi, quos Hipp. l. 2. de morb. syringas, & lib. de loc. in hom. Aortas; Gal. princip. lib. 1. de loc. aff. bronchos vel bronchia nominat; afficiuntur autem vel partes omnes, vel quedam tantum, & vel dextra vel sinistra; neque tamen solum in vasibus habet materia, sed saepe in ipsa pulmonis substantia, Fernel. Consil. 22.

9. Causa est vel Interna vel Externa; Interna, uti diximus, est obstructio bronchiorum pulmonis, aeris liberam inspirationem, & fuliginum exspirationem impediens.

10. Hu-

10. Hujus causa est vel continens, vel antecedens; Continens & conjuncta est, plerumq; humor crassus, latus, viscidus, copiosus & imprimis pituitosus, raro melancholicus, canis pulmonum infarctus; qui si longo tempore ibi detineatur, s&pè vi caloris ita induratur, ut gypheam quasi naturam, & calculosam duritatem induat. Nonnunquam est tuberculum crudum, in pulmonibus genitum, & asperas arterias coarctans, Gal.6.Epid.sect.4.com.4.

11. Antecedentes causæ dependent ab omnibus ijs, quæ vias spiritus comprimere, & arctare possunt, suntq; illi ipsi humores prædicti, morbum hunc non actu producentes, producere tamen potentes; quam antecedentis causæ conditionem elicimus ex cap.88. μικρά τεχνη Gal. quibus bronchiorum angustia, & pulmonum nativa, vel adscititia accedit debilitas.

12. Hi humores generantur, vel per congestionem in ipsis pulmonibus, unde Asthma dicitur primigenium, seu per essentiam; vel aliundē illuc consfluunt, faciuntq; Asthma per consensum.

13. Priori modo coacervantur, vel ob intemperiem, præsertim frigidam, pulmonis; vel ob alimenti vitium: ob intemperiem pulmo alimentum suum, quod cuiilibet membro tanquam pensum à naturâ deciditur, non concurre, nec excrementosas redundantias à se expellere potest; hinc in eo relictæ, & subinde auctæ, sensim indies incrassantur, & obstructionem pariunt.

14. Vitio alimenti materia vitiosa congeritur, quando ex alimento copioso, crasso & viscoso sanguis ejusdem indolis conficitur, qui delatus ad pulmonem, paulatim ejus temporem immutat, ut continuo nova excrementsa colligere cogatur.

A 3

15. Flu-

15. Fluxio fit vel per $\epsilon\lambda\xi\nu$, seu attractionem, vel per $\delta\omega\nu$ seu transmissionem, & expulsionem. Attractione fit fluxus, quando pulmo, aut pars thoracis aliqua calet vel dollet, quad accidere potest in Peripneumonia, Pleurite &c. Posteriori modo mittunt vel totum corpus, vel partes; ut plurimum pre ceteris materiam ad thoracem & pulmonem, tanquam partem imbecilliores & decliviores, que influxu resistere non valet, caput transmittit, in quo replendo impensis ventriculus frigidus, Epar calidum, Lien & Renes obstructi aut inflammati, hemorrhoides & menses suppressi, mutuas operas tradunt; ex quibus partibus sumos exhalantes cerebrum, ob situm sublimorem, instar camini seu cucurbitulae, ut Hipp. in Epist. ad Demetr. Regem p.1175. v.10. & lib. 4. de morbis p.504. v.10. loquitur, recipit, qui præter naturam retentis in humores condensantur, & ad pulmones vi expultricis protruduntur: Interdum sponte ob gravitatem suam ad eos delabi solent.

16. Desinit autem plerumq; humor tenuis & aquosus, præsertim dormientibus & recumbentibus, è pelvi & glande cerebri pituitariâ, per patulam laryngis rimam, & asperam arteriam, sine manifesto sensu, in pulmonis meatus angustiores; ubi si diu subsistat, contrahit mucositatem & viscositatem, quâ firmiter pulmonum canaliculis adhæret, eosq; obturat; quâ destillatio si copiose, subito & confertim, pulmonum bronchiis, jam antea obstructis & refertis, ingruat, oritur catharrus suffocativus, seu præfocans.

17. Spagirici obstructionis meatum pulmonis causam continentem esse statuunt Tartarum, recrementum principij Salini, mucilaginem nempe viscosam, bituminosam, limosam, lapillosum, qua ex debilitate separationis in pulmonibus remanet, adhærescit, non secus ac tartarus vini in vase,

sicq;

Sicq; cum sale rerum naturalium, quod nempe in ingestis, bibitis & comedisis superfluum, conjuncta paullatim incrementa sumit & coagulatur. Virtus enim pulmonis, si valida, sanguinem (cum quo tartarus vaporosâ & resolutâ substantiâ semper ad omnia membra defertur) ex cordis dextero ventriculo, per venam arteriosam attractum, pro suo nutrimento, quam subtilissimum & purissimum in arteriis conficit, indeq; facies tartari subtiliores & profundè adherentes sequestrat, easq; cum reliquis pulmonum excrementis in formâ resolutâ, vaporosâ & aquæ expellit; si vero infirma virtus, ob pulmonis vicium, vel nativum vel adventitium, eas separare, aut etiam separatas excernere non posset, colliguntur, quo dictum modo, in pulmonum viis, & calore loci, vig; internâ coagulativâ, in gypseam, tophaceam & calculosam materiam sapè concrescunt.

18. Causæ Externæ, vel humorem obstruentem generant, vel pulmones debilitant, vel humorem ad fluxum irritant & stimulant.

19. Humorem crassum & obstruentem pariunt, aër frigidus & humidus, interdum frigidus & siccus; cibi frigidi & humidi, aut copiosi, aut intempestivè, prioribus scilicet nondum concoctis, assumti, item crassi, faculenti, terreni, quales sunt carnes fumo induratae &c. Potus largior: Vita oiosa & sedentaria; vita conditio tristis, multisq; curis, negotiis aut literarum studiis implicita; somnus longus & diurnus: Pituita vel melancholia evacuatio, vel naturâ vel arte consueta, intermissa, vel diminuta: Quod si Epar quoq; frigidum humidumq; extiterit, & ventriculus frigiditatis causâ cruditates coacereràt, lieng; crebritate obstructionum laboràrit, istorum humorum copiosior erit proventus; quemadmodum ex pinceti xvij Gal.c.38. & 43. constat.

20. Cau-

20. Causæ pulmones debilitantes, vel laxant & humectant eos, ut aër humidus, qualis potissimum in Austrinâ constitutione esse consuevit; frequens balneorum aquæ dulcis usus; humectantium ferculorum esus; vita deses, somnus longus & à cibo præcipue: vel refrigerant & calorem extinguunt, ut aëris constitutio frigida, ambulatio per flumina, paludes & nives; lotiones & perfusiones admodum frigidæ; Venus immodica, motus vehementior. Vel vias angustiores reddunt, ut odor rerum constringentium pectus; luxationes vertebrarum, fracturae costarum, vulnera, distorsiones &c. quorum ratione pulmo fuligines liberè non excernit.

X 21. Occultâ qualitate pulmones debilitant, & ad fluxiones recipiendas disponunt, aër malignus, pestilens, cavernosus & subterraneus, fumus Mercurij, Antimonij, carbonum, chalcantbi, calcis, aliorumq; mineralium ac metallorum, unde metallurgi, aurifabri, & qui artes metallicas exercent, aut in mineralibus, clausis nec perspirabilibus locis, laborant, difficultem habent respirationem; Item halitus ex recens dissectis quorundam animalium corporibus.

22. Causæ collectum humorem ad fluxum proriantes, vel eum exprimunt, ut aër frigidus, ventig, boreales, uti videmus in byeme, refrigerato cerebro, materiam tenuem ex naribus exstillare, vel fundunt & liquant, ut astus, fervidiorisq; aëris contactus, qualis apud nos in hypocaustis esse solet; cibi & potus calidiores; exercitia vehementiora; vel totam humorum massam exagitant, atq; conturbant, ut vehementiora animi pathemata, & cumprimis ira.

23. Ex hactenus dictis sumuntur variae differentiæ; Respectu cause, 1. aliud est leve atq; remissum, quod Dyspnæa vocatur; aliud grave & intensem, Orthopnæa dictum, de quibus suprà. 2. ratione modi generationis, aliud est

per

per idoneitatem seu essentiam, quod oritur ex proprio & primo-
rio pulmonum vicio ; aliud per consensum, quod ex alia-
rum partium morbosâ constitutione enascitur. 3. ab Occasione
generationis, aliud est Hæreditarium, cuius apparatus &
dispositio saltem ex semine parentum, in utero, pulmonibus
communicatur, que à pravâ viâ us ratione deinceps degene-
rat in habitum ; aliud ascititum seu adventitium, quod jam
genitis alijs ex causa accidit. 4. subjecti ratione est, vel to-
tale, quod utraq; bronchia occupat, vel partiale, quod unam
saltem partem, dextram aut sinistram. 5. aliud est recens
quod nuperum ortum habet; aliud antiquum & invetera-
tum, quod diuturniores firmioresq; radices egit. 6. vel calcu-
losam duritatem contraxit, vel non. 7. aliud per intervalla,
& velut certos paroxysmos, aliud continuò egrum affigit.

24. Signa sunt vel Diagnostica, vel Prognostica.
Diagnostica manifestant vel ipsam affectionem, vel causam,
vel subjectum, vel differentias. Priora auditui manifesta-
funt; percipitur enim respiratio valde frequens, sine fe-
bri, qualis ferè in equis nimium agitatis animadvertisitur,
qua magis se prodit in ascensu ad loca acclivia, aut in medio-
eri exercitatione. Sonitus varius; stertor & sibilus; tussis
interdum vehemens & frequens, absq; purulento sputo: do-
lor vagus in pectore, & scapulis, pallor faciei; quibus ab o-
mnibus alijs pulmonum affectibus distinguitur.

25. Signa causarum, & quidem crassorum viscidorum,
& lensorum humorum, in pulmonibus infarctorum, sunt
signa commemorata, item sputum crassum & exiguum, cum
sensu quodam angustiae in pectore.

26. Tuberculi crudi signa inde deprehenduntur,
quod eger ab initio, dum bene valere videtur, paullatim spirati-
onis difficultatem sentiat, indiesq; anhelatio sine stertore

(nullâ existente, que in gutture ferveat, excretionē) augētur, cum sensu quodam ponderis in thorace.

27. Antecedentes humores ex proprijs signis, & ex sputi excreti colore, deprehenduntur.

28. Causæ Externæ ex agri relatu facili negotio perdiscuntur.

29. Locum, seu pulmonem totum affectum demonstrat, ipsius gravitas & ponderositas, spiratio densior & frequentior, aliorumq; signorum suprà enumeratorum vehementia. Unam saltem partem obstructam esse, indicat affectionis benignitas, & sputi per tuſsim ejactio; in quo autem latere pars sit affecta, offendit varius decubitus, prout magis patiuntur, si in hoc vel illo decumbant. In lœvibus arteriis materiam berere prodit syncope, & cordis palpitatio; pulsus inæqualis, tremulus, Gal. de loc. aff. lib. 4. cap. 9. Si continetur in pulmonis substantia molli, semper ferè insequitur screatus, cum tuſsi laboriosa.

30. Signa cujusq; differentiæ sunt sequentia: Dy-
spnoæ; symptomatum prædictorum levitas, curationis facilis;
nullus auditur strepitus, aut sonus interspirandum: Con-
traria indicant Orthopnoæam, & quod hic agri non nisi ere-
cti spiritum attrahere possint; Causa est, quod bronchia pul-
monis magis bient erecto; deinde, quod minore difficultate pe-
ctus & venter aſtendantur erecto quam decumbenti.

31. Per consensum Asthma factum, imprimis à fluxione è capite, indicio sunt, gravedo capitis, raucedo, tuſsis
gravior, & si quis statim & improviso respiret difficulter; se
remoto catarrho, Asthma simul curetur & removetur. Ab
alia parte materiam promanasse, propria istius male affecta
signa arguunt; Si enim à ventriculo processit, nausea, vomi-
tus molestus est; Si ab utero, menstrua omnino suppressa, vel

immi-

imminuta erunt, & sic de ceteris. Per propriam essentiam malum ortum patefaciunt absentia catarrhi, aëris, etas, temperamentum, aliaq, ad frigidius pariterq, humidius declinatio, ne quid dicam, quod hoc perpetuo moleset, illud per circuitus repeatat.

32. Signa Asthmatis hæreditarij sunt, si parentum vel utrorumq, vel alterius, aut etiam avi aut avia, vel consanguineorum indoles, in hunc morbum fuerit prona; si quis ab inുnente etate, ex levi aliquâ causâ, difficulter respiret, deniq, si neg, diatâ, neq, pharmacia perfectè curari posset. Ascititij sunt, cum cause humores crassos & faculentos gigantes, pulmonemq, debilitantes, de quibus supra actum, anteceperunt.

33. Recentis & inveterati signa cognoscuntur, ex durationis longitudine, & brevitate; ex corporis habitu calorato.

34. Gypseam & calculosam materiam significant ejus generis sputamina.

35. Prognostica sunt vel generalia, vel specialia, que Asthmatis concernunt differentias.

36. In genere, de Asthmate predici potest, quod sit malum grave, quia respicit vitam; cum ademtâ respiratione omnino de illâ sit actum.

37. Asthma est affectus contumax, egregi, curabilis, 1. ob loci distantiam; unde medicamentorum vis longo tractu ferè exolescit, & minima saltem portio ad pulmones trahitur. 2. propter vasorum pluralitatem, hinc plures vitiosi humores in ijs colligi possunt. 3. ob materie frigiditatem, & viscositatem; omne enim frigidum difficulter solubile, Gal. Com. aph. 34. sect. 7. 4. ob pulmonum imbecillitatem, tam nativam quam ascititiam, que hanc facile corrigitur. 5. propter viscerum

rum constitutionem contrariam; plerumq; enim Asthma obnoxij habent ventriculum frigidum, imbecilem, flatulentum, Epar calidum, renes obstructos, unde Intentiones Curativee contrarie oriuntur, quibus agre succurri potest.

38. Ad Asthma sunt dispositi gibbi, obesi, qui adstricto sunt pectore, qui longo tenui, collo eminent, & frequenter catarrhis & tuſi vexantur, qui cavernas & loca subteranea inhabitant.

39. Asthmate frequentius infestantur Viri, quam mulieres; quia mulieres, singulis mensibus, à superfluis totius corporis impuritatibus, ad uterum delatis, repurgantur.

40. Asthma magis gravat senes, quam juvenes; initio etiam cum difficultate curatur, tum ob viciorum humorum copiam, caloris nativi paucitatem; tum ob pulmonum imbecillitatem; unde ab Hipp. lib. 3. aph. penul. & ult. inter seniles morbos numeratur.

41. Asthma ratione materie, est morbus chronicus; ratione vehementium paroxysmorum, subito interdum strangulantum, est morbus acutus, qui frequenter hyeme, itemq; nocte magis invadere & exacerbari solet; Causa est tum humorum motus, quippè accessiones omnes ex crudis humoribus excitatae, ad vesperam, & noctu ut plurimum, deteriores sunt; tum aeris qualitas frigida & humida, ob quam collecti humores diffilari nequeunt. Cur autem non statim à cibo invadat paroxysmus, sed demum horâ tertią, aut quartâ à prandio, & noctu post undecimam, aut circiter, pretermotum causa est, quod cibus ingestus calorem ventriculi ante debilem obtundat, & opprimat, ut se non nisi post aliquot horas recolligere, & concoctionem aggredi possit: quod dum facili massam in ventriculo crudam in flatus dissolvit, qui in cerebrum elati, frigiditate ejus, & aeris ambientis, condensantur,

& ad

E ad pulmones confertim depelluntur; atq; hac exacerbatio durat, donec calor increscens flatus discusserit.

42. Si vires sint imbecilliores, quales esse solent in extremitate senio, malum evadit incurabile, & lethale. Gal. com. aph. 49. sect. 2.

43. Asthmate diu vexatis, si adveniat causa aliqua debilitans, ut sudor copiosus, vomitus, fluxus sanguinis ex naribus, alvi profluvium à vehementer medicamento, lethale est.

44. Anhelitus exiens frigidus per os, & nares, lethalis admodum est. Gal. com. 27. lib. 1. præ sag.

45. Asthmatici syncopen frequenter incurrentes repente moriuntur. Gal. de loc. aff. 4.c. 8.

46. Qui gibbosifunt ex Asthmate, vel tuſi, ante pertitatem moriuntur. Hipp. l. 6. aph. 46.

47. Asthma varicibus supervenientibus, vel in parte inferiori Apostematibus excitatis, multoties solvitur, materia translatà à pulmonibus ad corporis superficiem. Rbas.

48. Prognostica de differentijs Asthmatis in specie sequentia dari possunt.

49. Dyspnœa levior est, & diutiùs protrahi potest Orthopnœa, que periculosa & subito interdum strangulat.

50. Asthma totum pulmonem occupans diuturnius est, curatuſe difficulter partiali; quia materia est copiosa, & plura loca obſidet.

51. Asthma per consensum, & præcipue ob catarrhum, à capite debili emanantem, egrum ad mortem usq; comitari solet, Hipp. lib. 2. aph. 40. Per efficiam rarum est.

52. Asthma hæreditarium difficulter curatur. naturâ enim que insita sunt, penitus eradicari nequeunt.

53. Inveteratum Asthma non facile sanatur: omnis

enim morbus, fixam sedem in corpore obtinens, raro discedit,
priusquam vestigia & characteres quosdam indelebiles im-
prefferit.

54. Calculosum Asthma vix humana arte sanatur,
sicuti & illud, quod est à tuberculo, nisi hoc diuturnitate
temporis calefactum, & coctionem quandam recipiens, in ab-
fcessum vertatur, quo rupto, pus aut puriforme quiddam ex-
screatur. 6. Epid. sect. 4. 4.

CURATIO.

55. Asthmatis Curandi ratio duplex est, quarum
una in paroxysmo, altera extra cum adhibetur.

56. In Paroxysmo necessaria sunt remedia 1. que suf-
focationem prohibeant. 2. que humorem pulmonibus impa-
ctum preparent & educant. 3. que partem mittentem, & re-
cipientem, corrigant, & corroborent.

57. Ne ager suffocetur, usurpanda primū, que re-
spirationem & tuſsim reddunt faciliorem, emolliendo ſcilicet
materiam, viasq; & instrumenta respirationis, cum aliquā
resolutione, laxando & lubricando: deinde que fluentem hu-
morem aut avertunt, aut intercipiunt.

58. Ut igitur viæ magis hient, ager elevato capite &
pectore, in loco mediocriter calido quietus sedeat: thorax in-
ungatur ol. amygdal. dulc. violac. rut. irino. cheirin. pingued.
gallin. suis, vitul. & alijs: Intus exhibeantur caricae pingues,
concise, & maceratae in ſpiritu vini enulato; vel detur Lohab
de ſcilla cum oxymellite & ammoniaco; vel Oxymel. ſcillitic.
cum aquâ Cinamom. vel ſyrup. ex liquirit. praſio &c. Qui-
dam, referente Montano, confil. 123. quamprimum preſenſe-
rit paroxysmum Asthmaticum, bibit ol. ſimpl. (cujus loco ſine
dubio longè melius ol. amygdal. dulc. ſumetur) haustum, &
ſanatus fuit. Nares ſuccini, aut ſimiſi Balsamo inungi poſſunt.

59. Hu-

59. Humor stensis avertitur, vel Revulsione vel
Derivatione. Revulsio fit vel cum evacuatione, vel sine
eâ. Priori modo revellunt Clysteres, balani, Vomitus, Ve-
ne sectio, Cauteria.

60. Clysteres repetitis vicibus, & ne respirationem,
implendo ventrem, magis impedian, mediocri quantitate
injiciantur; sintq; paulò acriores, adjectis Agaric. Sal. gemm.
bier. simpl. aut diacoloc. benedict. laxat. & ijs, quæ peculiari-
ter caput respiciunt, & flatus discutere queunt. Chymici ad-
miscent Extract. esul. & aq. benedict. Cochli. j. vel ij. quæ sine
noxâ intestina stimulat; quin ne creber horum usus fastidium
pariat, substitui possunt balani ejusdem roboris.

61. Vomitus, cum materiam è capite, atq; ex ipsis pula-
monibus, modò non sit nimis impacta, sàpè potenter expellat,
& ab inferioribus eradicet, nequaquam hic reformidandus,
presertim ijs, qui sine difficultate eundem perficiunt; initium
verò faciendum à mitioribus, è succo & decocto raphan. rad.
atripl. asar. cum oxymel. simpl. & composit. Postea ad fortio-
ra deveniendum, qualia sunt, genistæ flores, radix & succus
Cyclamin. rad. utriusq; hellebor. ritè preparat. quorum forma
ubiq; est. Ex Chymicis selectiona sunt sequentia; aq. & sy-
rup. benedictus. Vitr. hyacinth. antimon gr. iiij vel iiiij per no-
ctem infusa in aq. vel vini unc. jj. Vitriol. alb. Sal Vitriol. Gilla
Theophr. Crocus Metallor. in substantia vel infuso; Electuar.
Antimon. Merc. vita gr. iiij. vel iiiij in Conserv. hyssopi drachm. ij.
A vomitu ventriculus abstergendus, & corroborandus pro re-
natâ, spirit. absinth. Zingib. Cortic. Citr. Condit. & similib.

62. Si corpus sit Plethoricum, & viribus constet, in-
cidatur vena, vel mediana, vel basilica. In mulieribus,
si malum ab obstrukione mensum foveatur, emissio sanguinis
feri debet ex incisis tali venis. Sic etiam hæmorrhoides ob-
structæ

fructa aperiende hirudinibus vel alijs medij. Venæsec-
tionis vicariæ sunt cucurbitulæ leves, cruribus, non tho-
raci, ne illarum constrictione respirationis motus impediatur,
affixa, veletiam paulò supra locum renum, in fine dorſi, &
parte ilib[us] vicinâ, ut thorax magis dilatetur, majoremq[ue]
aëris copiam inspiret & expiret.

63. Sine manifestâ evacuatione, fluxionem ad re-
motissima retrahunt & transferunt, extremorum frictio-
nes asperæ, ligaturæ dolorificæ, lotiones ex decoct. salu-
lavendul. flor. chamom. sambuc. alysq[ue] odoratis calidis. Quin
& pectus ac dorsum leviter fricari possunt, non quidem ad re-
vellendum, sed ut, meatibus dilatatis, commodior, majorq[ue]
fiat transpiratio, qua respirationis defectum supplere possit.

64. Copiâ materia hoc modo demtâ, derivatio insti-
tuatur, vel ad nares, per Errhina, ad que mirificè condu-
cunt succi betæ, majoran. Ireos, cyclam. pulv. nigell. torre-
fact. ammoniac. Staphisagr. vel & Tabacicum aquâ Nicotia-
na facta essentia &c. vel ad palatum, per apophlegmatismos,
masticatoria, & gargarismat. qua tamen non perpetuò pro-
bantur in hoc affectu; ob viciniam enim materia facile ad
pulmones precipitari potest. vel ad alia loca vicina, in
quem finem admoventur cucurbitulae, cum vel sine scarifica-
tione, scapulis vel brachij: aut post aures applicantur dropa-
ces, sinapismi, vesicatoria: Interdum, si res cogat, & aeger
ferat, cauteria in utroq[ue] brachio, aut in medio pectori secun-
dum Aëtium, vel secundum alios, suturæ Coronali infiguntur.

65. Maximè agrotum à suffocatione vindicant, quæ
humoris fluxum compescunt, & quasi suspendunt; sunt
autem talia vel interna, vel externa; illa vel deglutiuntur,
ut pillul. de cynogloss. Laudan. Opiat. cui, ex monitu
Crollij, admiscenda extenuantia & abstergentia, ut Oxymel,

pre-

perferunt illud, quod cum marrubio paratur; vel lambuntur, ut syrup. papav. simpl. composit. erratic. jujubin. diatragacanth. &c. vel in ore detinentur, ut sequentes trochisci: R. saccar. viol. unc. y. bol. armen. drachm. j. M. F. trochis. vel saccari viol. loco, syr. è succo cœruleo cum bolo mistus exhibeatur.

66. Extrinsecus conveniunt Odoramenta, & suffitus ex ladan. styrac. Calamit. sandarac. oliban. nigell. torrefact. succin. myrrb. mastich. & alijs; quibus tamen potius operimenta capitis suffumiganda, quam cubiculum; parantur etiam exinde emplastra & pulveres, ac vertici capitis imponuntur, ut sequens pulvis, qui R. myrtill. flor. rosar. rubr. an. drach. j. Cariopb. Scrupul. j. Misce: & Emplastr. quod R. Gumm. ammoniac. mastich. succin. an. drach. j. Myrtill. drach. s. Emplastr. contra ruptur. Unc. js. malaxentur simul.

67. Sedata fluxione, omne studium convertendum, ad materiæ continentis præparationem, & eductionem, quæ cum sit crassa, lenta, viscida & fortiter impacta, requirit incidentia, attenuantia & abftergentia, cum emollientibus & humectantibus, que prohibeant, ne, tenui resoluto, crassum lapideam duritiem induat. Talia sunt ex simplicibus Hyssop. marrub. scabios. tuſilago. polium montan. thymum. botrys. satureia. abrotanum. Calaminth. pulegium. Origan. Capill. Vener. rad. dracunc. minor. aristoloch. rotund. galang. Cappar. glycyrrb. ireos. helenij. lilio. albor. sem. urtic. nasturt. alth. lini. melanth. Scilla vix ullum præstantius reperitur: penid. Sebest. jujub. nuc. pin. tragacanth. paſ. minor. mora. fiscus. dactyl. saccar. succin. sulph. Ex his varia consici possunt Composita; plerumq. tamen in formam linctuum, aut crassorum syrporum rediguntur.

68. Composita sunt, syrup. de hyssop. marrub. Looch sanguin & expertum; Eclegma de pineis. diapenid. diathama-

C

ron,

roh, Tberiaca mithridat, spec. diair. simpl. & Salom. plirumque
sarcot. diabyssop. Diamargarit. calid. diacalamintb. quod e-
gregie status discutit. Commendatur quoq; Oxymel Cratonis;
aq. vitis alb. destillata. Quibus omnibus semper admiscenda,
quæ occultâ vi, & proprietate quâdā dicuntur asthmati-
cis prodesse, ut sunt pulmo vulpis, hirci, erici, cervi, aliorūq;
animalium exsiccatus; vulpis jecur aridum, & pulverisatum;
vermes serici; sterlus lacerta; milipedes seu aselli, qui sub ar-
quarijs vasis stabulantur, in vino albo madefacti & expresi;
bubonis cum plumis combusti pulvis cum aq. scabios. exhibitus;
lepusculi combusti, & in cinerem redacti. Interiora oculi
philomela cremata & pulverisata.

69. Horum omnium usus debet esse frequens: tenax enim
humor non facile se emolliri, nec attenuari sinit; debet etiam
alternis diebus, jam hujus, jam aliis medicamenti usus iniri,
ne natura remedia, quibus affuevit, contemnatur. Possunt insu-
per ex predictis legitimè mistis apozemata parari aut julapia,
& quotidie bis tervè exhiberi. Eundem servest, & citissimè hu-
morem crassum expedit sucus rad. iridis caerulea drach. ij.
vel lunc. semis cum vini malvatici lunc. ij. Item succus ex Ra-
phano crassiore inciso, & cum saccaro complosione in liquorem
verso, statim quum paratus est, cochlearis quantitate manus
& sero exhibitus. Item Rob. nucum cum aq. destillat. ex fructi-
bus rubi Idæi, vel Canis, comtemperatum, & pro beneplacito
sumtum.

70. Exterius ad materiam in pulmone contentam dissol-
vendam, & digerendam, non incommodè adhibentur Inunctio-
nes, premisis tamen frictionibus, ne pinguis suo lentore poros
occludant, & humorum transpirationem impediant: ut Un-
guent. ex mucilag. lini, fanugrec. alth. &c. pulveribus rad-
icibus, litior. albor. flor. anethi, camomill. meliloti, item di-
alth. simpl. & composit. Emplastr. item de melilot. vel simile
tati pectoris regioni applicandum.

71. Præ-

71. Præparata & cocta materia educenda, mediante
suspi & sputo, per asperam arteriam, quâ nullam expurgandis
pulmonibus & pectori, commodiorem viam Natura compara-
vit. Exhibenda verò sunt, quæ citra vekementem calefactio-
nem incident, attenuant & absteruant, quibus semper aliquid
de Agarico admiscendum, & vel pollen ejus, vel pillula de aga-
ric. sole, vel cum bierâ, vel Agaricus trochiscatus cum for. caſ.
vel aliud simile. Maximam vim expectorandi obtinet scilla,
quocunq; modo parata, & plura alia, de quibus ja diximus; quin
& Natura ipsa, si modò humores ad expulsionem apti sint, eos
non facile in pulmonibus tolerat, sed sponte ad expulsionem
insurgit.

72. Ex chymicis medicamentis, materiam in pulmoni-
bus sepultam, preparant, expectorant, & ipsos pulmones robo-
rant Balsamus sulph. cum oleo Anisi stillat. factus. Flor. sulph.
tām simplices, quam compositi, & imprimis isti albicantes cū
nitro sublimati, & viciſſim edulcorati, qui viribus & potesta-
te lacti sulph. quod insigne in hoc casu est, non cedunt à scrup.s.
ad scrup. i. Ol. saccar. simplex, & compositum Magistrale; Ex-
tractum pulmonis vulpini. Vitriolum Martis albicans. Flores
Benzoini cum florib. sulph. misti, & in ovo sorbili exhibiti. Vi-
num melisse magni & merito estimat Paracelsus. Extractum
thoracicum majus & minus Quercetani. Spirit. vel ol. sulph.
ad dissolvendum non parùm proficuum.

73. Tandem partes corroborandæ, & primò cerebri
intemperies frigida & humida, per calefacentia & siccantia,
ad naturalem habitum reducenda est, quod sit syrup. de ſœ-
chad. conserv. rorismarin. betonic. diambr. diamosc. mithri-
dat. & alijs, de quibus consulendi Practici; suam verò lau-
dem hoc loci merentur Cucupha, seu pileoli nocturni, ex her-
bis cephalicis compositi, & supra verticem gestati. Pulmones
molliores laxioresq; per resiccationem confirmant, Conserv
byſſop

hyssop. Enul. Campan. diacymin. diatr. piper. & alia, quorum
suprà mentio facta. Decoctum item Guajaci, sarsæ parilli. &
rad. chin. Victus in Paroxysmo debet esse tenuissimus; potus
melicratum, vel vinum dulce moderatè sumptum; jus galli an-
tiqui & id genus similia.

74. Extra paroxysmum prospiciendum, ne redeat, quod
obtinebimus, causas efficientes, qualescunq; istæ fuerint, remo-
vendo & emendando, ad quod institutum imprimis necessaria
est convenienter instituta diæta; quo nomine complectimur
totam victus rationem, seu sex rerum non-naturalium admi-
nistrationem legitimam. Sit autem ea in totâ præservatione, ut
& in curatione, extenuans aperiens & abstergens (nunquam
bumectationis cuiusdam simul præteritâ ratione) monete Gal.
7. secund. loc. c. 6. ac imprimis, cum asthma à crassis & lètiis hu-
moribus frequentius originem ducat, moderate calida & siccata.

75. Aër itaq; sit lucidus, purus, parùm calidus & siccus,
aut naturâ talis, aut correctus suffumigjs, fomentis, balsamis.
Vitetur crassus, frigidus, turbidus, valde humidus, nebulosus,
qui corpus nostrum refrigerat, densat, poros claudit, humores
multiplicat & incrassat; qua aëris constitutio cum pendeat ab
anni temporibus, ventorum, regionum & locorum dispositione,
vitanda & illa sunt, aut arte corrigenda.

76. Cibi sint boni succi, & faciles concocti, cum quâdam
incidenti, extenuandi & abstergendi virtute, sumantur mo-
deratè vitentur, que generant succum fæculentum, crassum,
pituitosum & flatuosum, carnes bubule, suille, caprine, hirci-
ne, veteres ferine; item sale incrustat & fumo indurat. Co-
veniunt capones, pulli gallinacei, columbi, præsertim sylvestres,
turdi, perdices, passerculi montani, & aliae aves in montibus
degentes. Confert multum caro echini terrestris, vervecis,
& præsertim hujus lingua, ova item sorbilia, amygdalata cù
paucō melle, & à proprietate caro & pulmo catulorum vulpis,
noxia.

10

noxia sunt omne piscium genus præpingue, in turbidis ac cœnoscis aquis volutans, testaceag, cute investitum, quare vitentur, uti & legumina, & reliqua flatulenta cuncta. Panis sit optimus, nec nimis recens, aut antiquus valde, cum anisi vel fœnicul. aut carui semin. conditus. Verum quilibet in victus ratione sibi ipsi Medicus optimus esse potest, si observet, quos cibos salubriores experiatur.

77. Potus sit defæcatus, non crassus non fœculentus, nec vaporosus: non assumatur statim post balneum aut exercitia: crapula vitetur omnis. Inter prandium & cenam nihil bibatur; itaq; commodissimum erit à cibo assumere, quæ vim habet adstringendi os ventriculi, ne vapores in caput ascendant, quale est diacytoniat. Coriandr. preparat. malum Cotoneum coctum & saccaro conspersum: vel & succi Cotoneorum clarificati cochl. j. vel iij quare etiam mastich. electæ, vel thuris aliquot grana, cum saccar. rosaceo, cubitum ituris deglutienda exhibentur. Vinum sit album, substantia tenui, diureticum; ieiuno ventriculo minime potetur: nervosam enim substantiam promptissime offendit; exulet austерum & vehementer acerbū; probatur medicatum è botryde potissimum, è Guajaco, & pectoralibus medicamentis. Non assueti vini loco bibant cerevisiam claram, tenuem, non recentem, nec nimium veruistam; vel mulsum, in quo parum byssopi, glycyrrhiza bullierit; prodest insuper hordei decoctum cum liquiritiâ, passulis, aut Capik. Vener. Sapè autem bibant & parum, quod humectatione plurimâ opus habent, ut materia tanto facilius efferratur.

78. Somnus sit moderatus, non statim excipiat cenam, sed hora dux aut tres interveniant; nocentissimus est diurnus seu meridianus; indulgeri tamen potest assuetis, secundum Hipp. aph. 50. l. 2. item senibus; ineatur autem non statim à cibo, nec ultra horam, ob suffocationis periculum, protrahatur. In decubitu eger utatur cervicali altiore; alias nihil refert, utrum in latus pro consuetudine decumbat.

79. Mo-

79. Motus corporis sit moderatus, ante cibum institutus, talis conservat & auget nativum calorem; validus, pricipue in morbo jam confirmato, ob facilem humorum commotionem, plures extinxit: juvat, s̄ membra respirationis, legendo, orando, declamando & cantando exerceantur, neg, inutile erit, crurum frictiones, quotidie ante cibum, instituere.

80. Alvis quotidie evacuanda, manē à somno; nisi id fiat naturā, promoteatur arte; omnes deniq; intermisce & suppressive evacuationes convenienti modo proritentur: excrements enim retenta morbos sibi similes producere solent.

81. Venus maxime officit, utpote quæ cerebrum & nervosum genus debilitat, calidum innatum, & humidum radicale partium exsiccat, & extinguit.

82. In effrænandis animi affectibus summa adhibenda diligentia, ne modum excedant; imprimis fugienda ira, quæ momento impetuose commovet sanguinem, & bonos cum malis succis ad partes protrudit; mœstitia & tristitia spiritus dissolvunt, corpus refrigerant, & siccant, humoremq; faculentum & tartareum generant.

83. Dieta hoc modo instituta, ad causæ antecedentis expugnationem, & partium mittentium, ac recipientium corroborationem, accedendum est.

84. Causa antecedens vel est quicta, & nondum mota; vel mota & jam in fluxu.. Prior, si copioſor fuerit, tollitur, vel venæsectione, vel purgatione.

85. Si adſit plethora, vena secunda cubiti, ſinistri vel dextri; sanguisq; detrahendus, nunc parcè, nunc copioſe, & per vices, pro ratione redundantia, corporis habitus, temporis anni & ſimilium. Antequam tamen illa instituatur, præmitti potest, quod primas vias evacuet. Venæsectionis locum ſupplent Hirudines, cucurbitulae numeroſe cum ſcarificatione.

86. Si corpus fit cacochymicuſ, adhibenda ſunt eva-
cuau-

euantia, tum Universalia, tum Particularia; illa per vomitum, alvi dejectionem, sudorem & Urinam, si quid vitios in corpore, expellunt. Vomitus quo modo sit provocandus, dictum.

87. Evacuatio per alvi dejectionem fit, vel clystere, vel purgante. Clysteribus semper addenda, qua humoris qualitatem, & partem affectum respiciunt, progrediendo hic a leuioribus ad fortiores, de quibus supra.

88. Purgatio institui non debet, nisi humores preparati, & ad evacuationem sequaces redditi, vias apertae fuerint.

89. Cum autem causa magna ex parte sit phlegmatica & crassa, conductibilia sunt, que incident, attenuant, & moderare calefaciunt; quadia thesi 67. 68. exposuimus.

90. Preparantia & digerentia apud Chymicos usitata sunt, Crenor Tartari spiritu Sulphuris animatus; acidum ejusdem, Tartarus Sulphuris. Mercurius precipitatus luteus diaphoreticus.

91. Quibus per aliquot dies ritè præmissis, purgantia convenientia, primo mitiora, deinde fortiora, subiunguntur, pro diversitate humoris peccantis, & predominantis, nunc plegmogoga, nunc cholagoga, nunc melanogoga, nunc hydragoga, & vel simplicia, vel composita. Exhibentur quoq; alternatim, nunc præparantia, nunc purgantia; interdum præparantia purgantibus admiscentur, pro materia contumacia, & scopo Medici, additis semper ijs, que specifica virtute Astmati resistunt, & viscera, præcipue Epar, ventriculum, & cerebrum respiciunt. Cendum sedulo ab his, que pulmonibus inimica, qualia sunt omnia acrida, mordacia & adstringentia, ut supra scriptissimus; iteranda vero sunt purgantia, & singulis annis bis instituenda, Vere & Autumno; nam Galib. de plebotom. lib. de attenuante victu, dicit se multos ex Astmate & Epilepsia liberasse, satis purgationibus, verno tempore adsumtis, servata simul recta victus ratione.

92. Laudantur Agaric. trochiscat. radix mechoac. Senna, turbith. Rhabarb. hier. simpl. & cōpos. diaphanic. pill. de agaric. coct. sine quibus ab alijs commendantur elaterium, colocynth. & hellebor. sed cautione opus est, ne his e corpus nimium perturbemus, aut vires proferemus. A Chymicis celebrantur Mercur. dulcis ad dr. s. gr. j. atq; altero flor. Butyr. Anton. auctus, cum conserv. bugloß. borrag. Arcan. Corall. Turpeth. mineral. Spiritus vite aureus Rulandi &c. ejusdemq; pulvis Astmaticus cur. g.

cen.

sent. & propositus, qui constat ex fol. card. bened. sem. cartham. an. scr. iij.
piper. logi scr. j. fol. sen. mund. Rad. Aron. pr&p. an. dr. tij. Anis. dr. s. diagryda.
scr. j. dosi dr. s. manē & vesperi, porrigenus cum vino vel alio iuscule.

93. Quod si tuberculum pulmonis Asthmatis causa esse dignoscatur, idg; sit crudum, durum, coctug; difficile, calefacientia, attenuantia, & absumentia, qualia jam ante pro crassorum humorum depulsione constituimus, docente Gal. 4. de locis c. ult. 5. simpl. c. 13. adhibenda primi-
tūs, & si ad raptionem perducatur, quod ex puris exscrectione, & an-
helationis remissione deprebenditur, ijs insistendum remedij, que vim
abstergendi & exsiccandi habent, ne periculose ulcus ibidem generetur.

94. Tandem deturbatis crassoribus ex corpore impuritatibus, reli-
quie, ne in habitu corporis molestiam creent, aut bonos deinde succos in-
quiment, protenū per diaphoretica excutiendae: In quem usum commo-
dè usurpantur decoctum centaur. minor. Guajac. sassafras cum flechad.
sarsaparill. rad. chine cum herbis pectoralibus &c. mithridat. Theriac.
Andromachi. Ex chymicis sunt C. C. philosophicè calcinat. Antimon.
diaphoret. seu Bezoardic. mineral. Lunar. & Solar. Mercur. diaphoret.
Mercurij spiritus, seu ol. album & rubrum. Antimonii Essentia, tinctura,
Spiritus tartari, mistura simplex, aq. theriacal. spirit. Guajac. que
fere omnia simul vim corroborandi praincipias corporis partes obtinent.

95. Diuretica parantur ex petrosel. apio, fænicul. asparag. pimpi-
nel. terebinth. Chymicis in usu sunt spiritus Salis, terebinth. tartarus
diureticus, sal succini &c.

96. Peracta Universali Evaeuatione, particulares locum inveni-
unt; caput purgatur per Errhina, per Apophlegmatismos; relique partes
per convenientes vias.

97. Materia jam mota, fluens, & que jam influxit. nondum ta-
men impacta est, ijs remedij, que in paroxysmo adhibenda precepimus,
transferenda & educenda. Probantur huc purgantia valida, si vires
egri ferant, ut possint ē cerebro alijsq; partibus influentem humorē pro-
tenus revocare & evacuare.

98. Ultimo pro diversitate partium affectarum, medicamenta
corrigentia, & corroborantia, tum interna, tum externa sunt pre-
scribenda, prout hæc ipsa singulis salubriter convenient. Possunt autem
talia subungi lenientibus medicamentis, per intervalla, ut, dum natura
ab illis feriatur habeat, quo caput & viscera paulatim ad nativam
temperiem reducat. Que verò illa sine. suprà dictum, & pañim
in Præticorum libris descripta reperiuntur.

• 6(0) 80

euantia, tum Universalia, tum Particularia; illa
tum, alvi dejectionem, sudorem & Urinam, si quae
corpo, expellunt. Vomitus quo modo sit provocare.

87. Evacuatio per alvi dejectionem fit, vel
purgante, Clysteribus semper addenda, que ha-
bitatem, & partem affectam respiciunt, progredie-
nioribus ad fortiores, de quibus supra.

88. Purgatio institui non debet, nisi humores
& ad evacuationem sequaces reddit, visq; aperte-

89. Cum autem causa magna ex parte sit phlegmatica &
ducibilia sunt, que incident, attenuant, & moderate cale-
fia thesis 67. 68. exposuimus.

90. Preparantia & digerentia apud Chymicos usitata
Tartari spiritu Sulphuris animatus, acidum ejusdem,
Sulphuris Mercurius precipitatus luteus diaphoreticus.

91. Quibus per aliquot dies rice p̄misis, purgantia co-
primo mitiora, deinde fortiora, subjunguntur, pro diver-
peccantis, & predominantia, nunc plegmagoga, nunc
nunc melanagoga, nunc hydragoga, & vel simplicia, ve-
Exhibitentur quoq; alternatim, nunc preparantia, nunc pur-
gantia purgantibus admiscentur, pro materia co-
scopo Medici, additis semper ijs, que specifica virtute Ast-
& viscera, pricipue Epar, ventriculum, & cerebrum respi-
dum sedulo ab his, que pulmonibus inimica, qualia sunt or-
mordacia & adstringentia, ut supra scripsimus; iteranda
gantia, & singulis annis bis instituenda, Vere & Autumno
de phleborom, lib. de attenuante victu, dicit se multos ex-
Epilepsia liberasse, solis purgationibus, verno tempore adju-
simul recta victus ratione.

92. Laudantur Agaric. trochiseat. radix mechoac. S.
Rhabarb. hier. simpl. & copos. diaphenit. pill. de agaric. cochr-
alys commendantur elaterium, colocynth. & hellebor. sed
est, ne his corpus nimiam perturbemus, aut vires prosterne-
nuncis celebrantur Mercur. dulcis ad dr. s. gr. j. atq; altero flo-
mon. ancus, cum conserv. bugloss. borrag. Arcan. Corall. Tur-
p; spiritus vite aureus Rulandi &c. ejusdemq; pulvis Ast-
ber.

